

non potest dici determinatio in actu secundo, sed ordinata ad extorquendum actum secundum. Si autem fit ab ipsa voluntate, non procedit a potentia determinata ad unum in actu primo ex vi gratiæ prævenientis, ut ostensum est; ergo procedit a potentia, quæ non obstante tactu excitantis gratiæ manet indifferens ad consentiendum vel dissentiendum; ergo ex vi intrinseca solius excitationis non potest esse intrinseca et infallibilis connexio inter illam et hanc determinationem in actu secundo. Patet consequentia ex ratione facta, quia hæc consecutio fundatur in causalitate, et hæc causalitas non est certa, quia potest impediri per liberum arbitrium; et sola excitatio præveniens per vim suam intrinsecam non potest potenter efficere ne liberum arbitrium impediatur consensus, suspendendo vel alio divertendo influxum suum; alioqui jam determinaret illud ad unum in actu primo, quod facere non posse ostensum est.

Merito ergo reliquerunt illam sententiam defensores physicæ determinationis, asserendo hanc prædeterminationem physicam, quam ipsi putant esse necessariam ad conversionem peccatoris, non posse tribui vocationi aut gratiæ excitanti, vel simpliciter prævenienti, sed necessario addendum esse aliud genus motionis, per quam Deus determinationem illam faciat. Unde si attente res consideretur, isti sic opinantes in hoc puncto conveniunt cum Doctoribus, qui absolute negant dari gratiam prævenientem efficacem, per gratiam prævenientem intelligendo omnem et solam gratiam excitantem. Differunt tamen hi posteriores Theologi a prioribus, quod non putant prævenientem gratiam fieri efficacem per aliam præviam motionem physicam solius Dei, sed per solum actualem influxum, quo gratia, quæ erat præveniens, transit in concomitantem et adjuvantem, ideoque in hac efficacia aiunt quodammodo dependere gratiam a libero arbitrio tanquam a conditione necessaria, ut præveniens gratia actu efficiat, seu tanquam a concausa omnino libera, ac proinde potente impedire effectum illius gratiæ. Adversarii autem quoniam hinc supponunt necessarium esse ut solus Deus prædeterminet physicè voluntatem, aliunde vero coguntur fateri hoc non fieri per solos motus gratiæ excitantis, adjungunt auxilium illud concomitans tempore, et prævium quoad causalitatem, et ordine naturæ, ut per illud physica illa prædeterminatione vere et realiter a solo Deo fiat, atque ita

in hoc solo puncto cardo controversiæ versatur, ut cap. seq. amplius declarabitur.

CAPUT III.

DETERMINATIONEM VOLUNTATIS AD CONSENSUM LIBERUM, LICET A SOLO DEO NON FIAT, NON FIERI A SOLO LIBERO ARBITRIO.

Propokuntur incommoda, vel etiam errores, quos utraque opinio vel oppositæ tribuit, vel ex illa sequi existimat. — Posito ante oculos controversiæ statu, proponenda sunt incommoda, vel etiam errores quos utraque opinio vel oppositæ tribuit, vel ex illa sequi existimat; examinandumque est quo fundamento, vel illationis efficacia, utraque loquatur; sic enim facilius constabit quæ illarum Catholicæ doctrinæ magis consentanea, ac proinde præferenda sit.

Quid objiciant adversarii. — *Franc. Davila, cap. 10, p. 89; c. 11, p. 110; cap. 9, p. 236.* — Ut ergo a nostra sententia incipiamus, quoniam nos dicimus determinationem nostræ voluntatis ad supernaturalem consensum non fieri a Deo solo, medio aliquo prævio auxilio gratiæ, quod sit medium inter gratiam excitantem et consensum ipsum, sitque posterius quam gratia excitans, et prius, ordine naturæ et causalitatis, quam cooperatio humanæ voluntatis, objiciunt nobis, vel imponunt, quod asseramus liberum nostrum arbitrium solis viribus hanc determinationem ad supernaturalem actum efficere sine influxu gratiæ. Unde Franciscus Davila de nobis scribit quod sentiamus ex nobismetipsis habere hanc determinationem, quia non credimus a Deo nos illam accipere, et alibi nos dicit asserere, *voluntatem ad opera pietatis se determinare pro sola innata libertate, ita ut in principio actionis voluntatis nostræ non plus conferat gratia quam si non esset.* Et alibi dicit idem Auctor: *Ipsa sola natura secundum horum imaginationem gratiam antecedit ac prædeterminat.* Potuitque occasionem sumere ex verbis Molina, qui, disp. 12 Concordiæ, circa principium, affert testimonium Augustini, 12 de Civitate, dicentis, si duo æquales per omnia in omnibus conspiciant eandem mulierem pulchram, evenire posse a sola libertate utriusque, ut unus consentiat in peccatum eam concupiscendo, alter non ita. Et ipse Molina subjungit: *Et eadem ratio est de eodem modo affectis, æqualiterque a Deo ad fidem vocatis; pro sola namque eorum libertate*

potest evenire, ut unus amplectatur fidem, alter vero eam contemnat.

Cabrera supra, disput. 2, 81, num. 9, et num. 109. — *Disp. 6, dub. 4, num. 4 et 31.* — Sic etiam Petrus Cabrera dixit ex nostra sententia (me expresse allegando) *voluntatem humanam prius se determinare operando in actionibus liberis ex vi suæ libertatis et sufficientis auxiliî, quam Deus concurrat per efficaciæ auxiliium;* et iterum refert ex nostra sententia voluntatem, constitutam in actu primo per auxiliium sufficientem, reduci ad actum secundum *se sola et per seipsam.* Unde infert alias erroneas propositiones, scilicet: *Deum adjuvare voluntatem jam determinatam, ut suum actum perficiat,* significans non adjuvare eam ut se determinet, vel actum inchoet. Item hanc causalem esse veram: *Quia voluntas se determinat ad hunc actum, ideo Deus illi efficaciter auxiliatur ad eundem.* Item hanc: *Quia Deus prævidit voluntatem se determinaturam ad talem actum, ideo decrevit efficaciter concurrere cum illa.* Item ex eodem principio sic inquit in alio loco: *Ex duobus æqualiter adjutis, quorum unus convertitur et alter non convertitur, unus eorum (juxta doctrinam M. Suarez) in se habet ex suo libero arbitrio quo se disponat, quia efficacia Divini auxiliî non ex Deo, sed ex libero arbitrio procedit.* Quæ omnia non aliter ostendit nisi quia dicimus auxiliium præveniens non esse de se ita efficax, ut se solo suaque vi prædeterminet physicè voluntatem. Allegat præterea male, et sine fundamento, disp. 22 nostræ Metaphysicæ, section. 2 et sequent., et lib. 4 de Auxiliis a cap. 5, usque ad 17, et lib. 2, cap. 78.

Davila, c. 21, p. 255; c. 13, p. 171; c. 9, p. 81 et 94; c. 23, p. 251; c. 16, p. 281; c. 21, p. 253, 257. — *Cabrera, dict. disp. 6, dub. 4, n. 36.* — Præterea ad hoc caput reduci potest quod iidem Auctores aliis locis de nobis aiunt: *Tribuere nobis ipsis partem boni operis, licet partem aliam gratiæ relinquamus;* nam determinatio videtur esse pars illa, quam (ut aiunt) nobis tribuimus, quid enim aliud excogitari potest? Videntur autem moti ex eo quod sæpe Molina dicit, gratiam et liberum arbitrium esse causas partiales operum pietatis. Sic dixit Franciscus Davila: *Aliquid tribuunt voluntati ex sola natura quo se discernat et aliquid ex se habere quod non accepit;* et alibi inquit: *Caveant adversæ sententiæ assertores, ne quod Dei donum et gratia est sibi tribuant, et non in Domino, sed in seipsis gloriantur, dum sibi partem, et partem Deo suæ*

justificationis adscribunt. Cabrera vero hanc propositionem ex nobis refert: *Qui convertitur, aliquid apponit ex propriis viribus, quod non est effectus ipsius auxiliî, sed potius indistincte concausans cum ipso auxiliio.* Ita ergo dicti Auctores de nobis sentiunt.

Tres sententiæ circa effectiorem determinationem. — *Tria auxilia requirunt auctores ad actum conversionis.* — *Primum auxiliium.* — Ut autem ad examinandam veritatem a determinatione incipiamus, et unicuique quod revera suum est tribuamus, circa effectiorem hujus determinationis tres sententiæ oportet distinguere: duas extremas, et unam mediam. Una extrema est fieri a solo Deo; altera, fieri a solo libero arbitrio; media vero est fieri ab utroque. Dicti ergo Auctores hujus tertiæ sententiæ videntur obliti, quia vel non cogitarunt illam esse possibilem, aut noluerunt eam in nostris libris legere aut intelligere. Ipsorum vero sententia est (quod maxime præ oculis habendum est), Deum solum efficacitate sua prius efficere determinationem in voluntate hominis jam vocati, postea vero hominem sua voluntate consentire Deo, iterum cum illo concurrente et cooperante ad consensum. Unde tria auxilia, seu concursus, aut effectiones Dei requirunt ad actum conversionis, et unam tantum ex parte liberi arbitrii. Primum auxiliium est vocationis, sub qua tota gratia præveniens seu excitans, quæ fit per motus gratiæ indeliberatos, comprehenditur, et hanc gratiam præcise sumptam vocant isti Auctores sufficientem tantum, quantacumque illa sit, eique solum tribuunt causalitatem moralem respectu conversionis; fatenturque ex vi illius voluntatem non determinari ad unum, sed manere indifferentem, posseque ei resistere, et consequenter aiunt fieri posse ut in hac gratia illuminationum et inspirationum prævenientium sint æquales qui convertitur et qui resistit, prædestinatus et reprobus.

Secundum auxiliium. — Addunt ergo secundum auxiliium, quod vocant efficax, quod partim præveniens ponunt, quia a Deo solo fit, sine libera cooperatione hominis; partim concomitans, quia necessario habet in eodem instanti concomitantem consensum liberi arbitrii. Et hujus auxiliî effectum quasi formalem esse dicunt, determinare omnino voluntatem ad consensum, quia nisi hoc præcedat, determinare ipsa se non potest; effectus autem illius auxiliî seu determinationis in genere causæ efficientis erit ipse consensus, qui

tali determinatione ita necessario prodit, ut a nulla causa secunda, etiamsi concausa sit ejusdem actus, impediri possit. Unde in hoc auxilio maxime constituunt differentiam inter prædestinatum et reprobum, et inter eum qui consentit vel resistit; necesse est enim ut in hoc auxilio sint inæquales, ita ut illud habeat qui operatur, illo autem careat qui resistit.

Tertium auxilium. — Tertium auxilium est actualis concursus cum voluntate ad consensum suum. Hunc enim concursum negare non possunt, cum pertineat ad essentialem dependentiam, quam secunda causa habet a prima in agendo. Et ita de hoc auxilio fatentur nihil per illud fieri a Deo, quod non fiat etiam a libero arbitrio; et e converso nihil fieri a libero arbitrio, quod per hoc auxilium non simul a Deo fiat. Unde necesse est etiam ut fateantur, inter hoc auxilium, seu concursum Dei, et influxum liberi arbitrii in consensum, nullam esse propriam prioritatem naturæ in causalitate fundatam, sed simultatem et intimam conjunctionem, quamvis ex parte Dei sit in suo concursu major excellentia, virtus et independentia. Et similiter necesse est ut sentiant Deum per hoc auxilium immediate attingere ipsummet actum conversionis efficiendo illud, non autem efficere in voluntatem, nisi quatenus ipsemet actus conversionis in voluntate recipitur.

Secundum genus auxilii auctor non admittit. — Per alia duo sufficienter salvantur omnia quæ de efficientia gratiæ fides docet. — Atque hæc tria præ oculis habenda sunt; nam ex illis maxime illustratur tota materia, et distincte percipitur diversitas opinionum. Quæ in hoc præcipue consistit, quod nos non admittimus illud secundum genus auxilii, sed solum per alia duo recte explicata credimus sufficientissime salvari omnia quæ de auxiliis et de efficientia gratiæ fides docet. Imo ex illis duobus nobis concessis, ad hominem convincimus esse frivola argumenta omnia quæ contra nos faciunt. Et alioqui expositione illius secundi auxilii efficacis contendimus tolli e medio auxilium sufficiens, et usum libertatis in resistendo vel consentiendo vocationi. Quapropter ne detur locus tergiversationibus et quæstionibus de sola vocum ambiguitate, oportet ut adversarii nobis declarent an constituant hæc tria auxilia prout a nobis explicata sunt, præsertim secundum; a quo (ut opinor) tota hæc controversia pendet. Nam de primo auxilio certum est ab eis negari non posse, cum expresse de illo constet ex doctri-

na Conciliorum et fidei. De hoc ergo auxilio, quoad veritatem et substantiam ejus, non est inter nos et illos controversia, quamvis de modo sufficientiæ et efficacæ illius sit magna differentia, quæ pendet ex secundo puncto. De tertio item auxilio non contendimus, quia nos etiam fatemur esse maxime necessarium, ut in sequenti capite declarandum est.

Quidam Doctores, ponentes secundum auxilium, interdum insinuant non esse necessarium tertium. — Non omittam autem advertere Doctores aliquos, ponentes secundum auxilium, interdum insinuare non esse necessarium hoc tertium, posito illo secundo, ne videantur tot auxilia, sine fundamento in Conciliis vel antiquis Patribus, multiplicari. Sed nulla ratione id sustineri potest. Primo, quia si illa determinatio fit a solo Deo, ut ipsi supponunt, in illo signo naturæ, in quo illa infunditur, liberum arbitrium nihil operatum est; ergo si postea quando operatur liberum arbitrium non datur nova operatio Dei, liberum arbitrium se solo et sine actuali adjutorio Dei opus suum efficit, et sic destruitur gratia vere adjuvans et cooperans, nam omnis gratia quam solus Deus facit potius est præveniens aut operans. Secundo, quia hic modus dicendi repugnat essentiali dependentiæ in operando, ab actuali concursu primæ causæ, quia juxta illam sententiam non ageret Deus proxime et immediate nostrum consensum, sed solum aliquid prævium ad consensum, nempe applicationem vel determinationem voluntatis, quam ipsi ab actione voluntatis distinguunt, et ad illam præviam esse dicunt. Et ita sequeretur voluntatem, jam determinatam a solo Deo, se sola et sine actuali influxu Dei efficere consensum; esset ergo illud assertum et erroneum in Philosophia, quia causa secunda, in quocumque statu prævio ad agendum constituta, non potest exercere actionem suam, nisi Deus per se immediate influat in eandem actionem, quia illamet actio, cum sit quid creatum, habet essentialem dependentiam a primo ente; et præterea esset erroneum in Theologia et Doctrina de gratia, quia voluntas, quantumcumque a Deo præparata et præventa, non potest elicere pietatis opus sine actuali adjutorio Dei, ut constat ex Concilio Tridentino et Arausiano, et late dictum est in libro tertio de Auxiliis, cap. 3, 4 et 5.

Investigatur mens auctorum secundi auxilii. — Superest ut dicti auctores nobis declarent an de secundo auxilio ita sentiant, sicut nos

retulimus et putamus, an vero in hoc decipiamur: libenter enim hoc posterius ab eis audiremus, nam cessaret inter nos omnis controversia, et, ablata dissensione de verbis, res tota constaret. Nam si illud auxilium secundum non constituunt, prout retulimus, necesse est ut fateantur, in voluntate sufficienter a Deo præparata per illuminationes et inspirationes, seu motiones indeliberatas supernaturalis ordinis, omissis habitibus de quibus nunc non agimus, nihil fieri a solo Deo, sive sit consensus, sive actualis effectio ejus, sive determinatio ad illum; nam si aliquid hujusmodi ponunt factum a solo Deo, jam ponunt illud secundum auxilium; si autem fatentur nihil horum fieri a solo Deo, necesse est ut etiam dicant voluntatem satis præparatam per auxilia excitantia, et per illa nondum determinatam, prodire in determinationem suam simul cum Deo, et Deum determinare illam simul cum ipsa se determinante; quod nos docemus, ut in libris de auxiliis late diximus, et distincte ac clare conclusimus in cap. ult., lib. 4 et 3. Quod si in hoc quod ad rem spectat nobiscum conveniunt, et nihilominus velint vocare illum concursum Dei natura priorem, vel motionem, aut applicationem, erit quæstio de vocabulo, de quo non negamus quin possit habere probabilem sensum et interpretationem. Cum autem ipsi satis in hoc mentem nostram intelligant, et nihilominus nos acriter impugnent, eo quod negemus illum modum efficacæ et auxilii prædeterminantis, plane volunt illam determinationem fieri a solo Deo, prius natura quam voluntas aliquid operetur.

Quod etiam constat, quia, ut capite sequenti videbimus, ipsi de hac determinatione volunt intelligi quod de initio salutis Concilia docent fieri a nobis, sine nobis libere cooperantibus; ergo volunt hanc determinationem fieri a solo Deo, et multo minus esse a nobis quam initium salutis, quod juxta veram intelligentiam in vocatione Dei ponunt Concilia. Vocatio enim licet sit a solo Deo sine nobis libere cooperantibus, non tamen fit sine nobis saltem vitaliter elicientibus actus illos, in quibus vocatio consistit. At determinatio neutro modo a nobis fit; quia nec est actus liber, nec vitalis, sed nescio quid prævium ad illum. Quod inde etiam intelligi potest, quia isti Theologi non requirunt hoc efficax auxilium ad solos actus supernaturales, sed etiam ad naturales, nec solum ad actus im-

manentes, sed etiam ad actiones transeuntes, dicuntque esse quid prævium quod causa prima operatur in secundam, ut sit quasi ultimo completa et determinata ad agendum. Unde est evidens in igne, verbi gratia, et in aliis transeunter agentibus, hoc complementum non fieri ab ipsis ullo modo, nam tota eorum actio est transiens; hoc autem fit in ipsis; solum ergo fit a prima causa, et recipitur in secunda; idem ergo sentire debent de auxilio, seu motione efficaci, prout a causa prima fit in secunda libera, tum quia est eadem proportio; tum etiam quia ante hanc determinationem non est voluntas creata quasi in ultimo complemento ad aliquid agendum, ut ipsi supponunt.

Cabrera, disp. 6, dub. 3, n. 8. — Idem, eod. dub. 3, n. 109. — Idem, eod. dub., n. 92. — Idem, ead. disp. 6, dub. 8, n. 50. — Idem, ead. disp., dub. 40, n. 1. — Idem, disp. 2, § 11, n. 476. — Præterea hoc ostenditur expressis dictis duorum modernorum, qui censentur verum sensum et sententias suorum auctorum collegisse. Unus est Petrus Cabrera, qui imprimis dicit, *actum conversionis, ut actu exercetur, non refundi in liberum arbitrium, etiam ut elevatum per auxilium sufficiens.* Quod dictum oportet intelligi, non de actu conversionis ratione sui (alias esset expresse contra Concilium Tridentinum sessione sexta, capit. quarto), sed solum ratione præviæ determinationis efficacis. Deinde ibidem sentit, *non esse in potestate hominis habere determinationem ad amandum;* quod non est verum, si determinatio fit a libero arbitrio. Et alio in loco expresse dicit, *in prædestinatis non reliquisse Deum eorum arbitrio initium efficacæ conversionis* (ita enim appellat determinationem ad conversionem), et ratione ejusdem determinationis dicit alibi: *Deus confert auxilium concomitans, non ut prodeamus in actum, sed ut adjuvet ad eliciendum actum in quem jam prodire cœperamus;* per determinationem enim illam, quam facit Deus, dicit nos incipere prodire in actum, non agendo, sed recipiendo. Unde alibi ait, *gratiam adjuvantem ita vocari, quia operationem inceptam per auxilium prædeterminans coadjuvat et consummat, et eadem ratione vocari concomitantem, quia comitatur operationem inceptam per auxilium prædeterminans.* Ubi clare distinguit secundum et tertium auxilium supra positum, et secundum appellat præterminans; tertium vero concomitans vel adjuvans; ergo plane vult secundum auxilium in ordine ad suum proprium

effectum determinandi non esse adjuvans, sed se solo ex virtute innata efficere illum. Unde tandem disertis verbis alibi ait, *prædeterminationem illam effective fieri a solo Deo*. Est ergo satis clara hujus auctoris doctrina.

Davila, capit. 10, pag. 84. — Capit. 19, pag. 89. — Idem, capit. 11, pag. 99. — Idem, capit. 20, pag. 245. — Alius est Franciscus Davila, in suo libro de Auxiliis, qui variis modis explicat eandem mentem suam; nam imprimis vult, *nullo modo dici posse ex duobus hominibus vocatis, unum converti, et non alium pro innata libertate; sed quoniam is qui convertitur, majorem gratiam suscepit*. Per quam gratiam non intelligit pure adjuvantem et concomitantem, tum quia tale auxilium non excludit quin homo pro sua libertate convertatur; tum etiam quia nihil contra nos efficeret; intelligit ergo auxilium quoddam posterius quidem quam tota gratia excitans, et prius omni cooperatione liberi arbitrii et gratiæ adjuvantis, sua sola virtute efficiens determinationem in voluntate. Unde alibi dicit: *Oblatam gratiam recipere, non nostræ facultatis est, sed Dei præsidium hoc præstare*. Quod non potuit dicere ratione ipsius consensus in se, cum Concilium Tridentinum definiat nostræ facultatis esse consentire cum Divino adjutorio; igitur id dicit ratione determinationis, quam Deus solus efficit, et hoc vocat *divinum præsidium*. Ex quo principio alibi defendit, *Deum, postquam sufficienter vocavit, et excitavit hominem, non expectare eum ut consentiat; quia nimirum ipse Deus efficaciter facit ut consentiat, imprimendo illi determinationem*. Quam propositionem examinabimus capite quinto. Præterea docet causas contingentes seu liberas, quatenus divinæ determinationi subjiciuntur, esse completas ad suos effectus; et ibidem ait Deum esse, *qui talem causæ determinationem præfigit, cui moventi nihil valet resistere*. Quo verbo significantissime declaravit Deum solum imprimere hanc determinationem voluntati, efficiendo, et voluntatem solum concurrere ad illam, recipiendo. Quam voluntatem ibidem ait ita manere determinatam per hanc impressionem, ut in illa sic determinata non minus evidenter cognoscatur certus effectus futurus, quam in causa naturaliter agente; ex quo etiam alibi vocat hoc auxilium efficax ultimam dispositionem ad justificationem; *nam est (inquit) motio actualis adulatorum, gratiam concomitans, quæ movente non stat quin liberum arbitrium consentiat*. Et paulo inferius dicit auxilium sufficiens

non posse salutem operari sine hoc genere motionis et efficacis auxilii. Satis ergo manifestum est hos auctores ponere illud secundum auxilium, ut ab illo solo sine efficientia liberi arbitrii fiat determinatio voluntatis humanæ ad consensum.

Deus non efficit in nobis sine nobis determinationem nostræ voluntatis ad consensum. — Apoc. 3. — Actor. 16. — Sic ergo exposita et intellecta illa sententia, quoad efficientiam determinationis in libero arbitrio, intelligi facile potest quid revera diversum ab eis in hoc puncto sentiamus, et quid ipsi nobis falso imponant. Dissentimus enim ab eis negando illud secundum genus auxilii et consequenter etiam negando efficere Deum in nobis sine nobis determinationem nostræ voluntatis ad consensum. Primo, quia in Scripturis hoc non legimus, sed potius Deum reliquisse hominem in manu consilii sui, ut se determinet et eligat, vel cum solo naturali concursu, si male eligit; vel cum Divinæ gratiæ adjutorio, si pie et sancte. Et ideo pulsare ad ostium solius Dei esse; aperire autem, et hominis et Dei. Et ita in quodam loco dicitur: *Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit, intrabo ad eum*. Determinatio autem voluntatis non ad pulsationem pertinet, sed ad aperitionem; nec inter illa duo potest medium inveniri; non fit igitur a solo Deo. Unde, licet in alio loco dicatur credidisse quamdam mulierem, *cujus Dominus aperuit cor*, per hoc non excluditur quin etiam aperiat homo, sed commendatur gratia Dei, quæ est principalis causa.

Secundo, quia neque in Conciliis, neque in Patribus tale genus auxilii invenimus, sed solum auxilia excitantia et prævenientia, quibus Deus operatur in nobis sine nobis, et auxilia concomitantia et adjuvantia, quibus Deus operatur nobiscum, de quibus in libro tertio de Auxiliis diximus, et in sequentibus nonnulla dicemus, præsertim explicando Decreta Conciliorum, et testimonia Augustini.

Determinatio si non est libera, nec consensus potest esse liber in his qui determinationem recipiunt: nec omissio consensus potest esse culpabilis his qui determinationem non recipiunt. — Tertio, quia si Deus solus efficit in nobis determinationem, non potest eadem determinatio esse libera, quia sine efficientia non est usus libertatis, ut clare tradit Concilium Tridentinum, sessione sexta, capite quarto. Et ita in locis citatis ingenue fatentur adversarii, licet in aliis tergiversentur. Si autem

determinatio non est libera, nec consensus potest esse liber in his qui determinationem recipiunt, neque omissio consensus potest esse culpabilis his qui determinationem non recipiunt. In quibus duobus nodis dissolvendis mirum in modum laborant adversarii, et in omnem partem se vertunt, et (quod gravius est) eorum occasione multa dicunt consideratione dignissima, quæ proinde in sequentibus accurate expendemus, quia nihil magis nostram veritatem confirmat quam videre in quas angustias, et pericula, contraria doctrina conjiciat auctores suos, et quam sine necessitate et causa in eas angustias se redigant.

Talis determinatio intelligi non potest, nec ejus utilitas. — Quarto, quia intelligi non potest talis determinatio vel utilitas ejus. Quod breviter declaro, quia illa determinatio vel est aliquid in voluntate nostra per modum actus primi, non vitalis, sive sit habitus, sive qualitas aut entitas transiens, vel est aliquid per modum actus secundi et vitalis. Si dicatur primum, nihil quod hujusmodi sit potest determinare voluntatem ad unum; quamdiu enim voluntas non componitur cum suo actu, domina est illius, id est potens ad efficiendum vel continendum illum; nec potest privari hac potestate et dominio per quæcumque qualitatem sibi inhærentem sine suo consensu. Si autem non privatur illo dominio et potestate, non determinatur ad unum, quia illud dominium intime et essentialiter consistit in potestate indifferenti ad utrumque extremum. Neque etiam potest id quod additur, in voluntate per modum actus primi impedire usum illius potestatis et domini, quia si usus rationis liber manet, et manere debet, nihil potest totaliter ligare (ut sic dicam) usum libertatis et indifferentis potestatis. Quia quicquid hoc modo additur, non minuit facultatem liberi arbitrii in radice, vel in seipsa, sed ad summum illam impedit, inclinando ad unum extremum; semper manet inclinatio ad aliud, et potestas utendi illa, ratione cujus nunquam manet voluntas determinata ad unum. Similique discursu probavit D. Thomas prima secundæ, quæstione octogesima quinta, articulo secundo, multiplicationem peccatorum nunquam posse omnino auferre facultatem bene operandi, licet illam magis ac magis impediatur, quia non impedit minuendo ipsam facultatem, sed illam inclinando. Et mihi in universum probatur non posse voluntatem per similem qualitatem superadditam deter-

minari ad unum. Quanquam si licentiam demus fingendi talem qualitatem aut determinationem ad suum actum, ita ut inhærendo voluntati, secum rapiat illam, et ita superet potestatem voluntatis, ut hæc non valeat illi resistere, talis profecto qualitas destrueret usum libertatis.

Res illa quæ proxime recipitur per determinationem nullo modo potest dici actus secundus voluntatis. — Cur illud genus auxilii auctor non admittat. — Si autem illa determinatio non est per modum actus primi, sed actualis motionis, ut interdum indicant dicti auctores, imprimis dici non potest quod talis operatio ut sic sit vitalis, quia non fit a principio, seu potentia vitali, sed tantum in illa recipitur, fit autem a solo Deo. Deinde interrogo an res illa seu operatio sit aliquid in re ipsa distinctum ab actu consentiendi, aut realiter sit ipsemet actus: neutrum enim dici potest consequenter. Non quidem primum, quia revolvimur in prius membrum de actu primo, nam illa determinatio, vel effectio, et proximus terminus ejus dici potest opus Dei agentis vel actio ejus; non potest tamen dici opus, vel actio liberi arbitrii, sed solum mera receptio; ergo res illa quæ proxime recipitur per illam determinationem nullo modo potest dici actus secundus voluntatis, cum nec formaliter, nec realiter procedat ab ipsa. Secundum item non consonat doctrinæ horum auctorum, nam in causis agentibus actione transeunte, necesse est ut fateantur determinationem, quæ in agente recipitur, esse rem distinctam ab actione quæ transit in passum. Et præterea ex illa identitate reali sequitur Deum, prius natura, sola sua virtute et efficacia imprimere in voluntate illam rem, quæ est actus liberi arbitrii, et sic determinare ipsum, ut statim in secundo signo naturæ influat in eandem rem, et sic efficiat consensum. Hoc autem præterquam quod superfluum est, cum causalitas causæ primæ id non requirat, ut in Metaphysica ostendimus, et non sit aliud principium unde id colligi possit, in præsentem est pene incredibile, tum quia valde repugnat vitalitati (ut sic dicam) illius actus, quia natura sua postulat ut per se primo fiat, et educatur de non esse ad esse per potentiam vitalem, non vero quod, prius ab extrinseco factus, iterum fiat a potentia vitali; tum maxime quia repugnat libertati, quia supponitur voluntas tanquam inanime quoddam recipere a Deo actum illum, seu entitatem illam, in qua receptione voluntas